



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Caput III. Consilio VValtheri de Meisenburgo Mariae Valli se addicit, eoque
conatur clam profugere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

ratque nubilis ætas, & ætate penè maior maturitas. Itaque parentes deliberant, cui viro coniugem dent? Indicto super hâc re consilio, convenère Conradus Coloniae Archiepiscopus, Yolandæ cognatus, & Henricus eius frater, Præpositus tum summæ ædis Coloniensis, cum Henrico & Margaritâ parentibus, & primoribus clientium. [Memorantur autem in priscis tabulis clientes Comitum Viennensium, hi inter alios; Novocastrenses in Arduennâ Germanicâ, Eschenfes ad Suram, Rulandij, Strepiniacenses, Brandenburgenses, Orchetenses, Heinsbergenses, Burscheitani, viri omnes equestri loco.] Dum hi de matrimonio Yolandæ, nescio quo loco, deliberant, ipsa interim harum ignara rerum Viennæ hilares degebat lætosque dies. Decenter psallere, ludere, choreas agere; mensâ uti opiparâ, vesci ferinâ alijsque edulij pro conditione generis splendidè, cum ecce memor sponsæ suæ Deus, adest in tempore, & periclitanti subvenit.

C A P U T III.

Consilio Waltheri de Meisenburgo MARIÆ Valli se addicit, eoque conatur clam profugere.

Fortè venère Viennam ex ordine D. Domini duo Sodales. Nunciatum continuò Yolandæ, mane orto iam dudum sole evigilanti, esse

esse in Sacello Dominicanos Patres. Simul commota ab ijs nola, Sacrum indicebat. Nec mora ad Sacellum Yolanda approperebat. Post Sacrificium, venerata hospites, quâ par erat urbanitate & magnificentiâ eos accipit, moxque cum eorum altero seorsum abducto, varijs de rebus coepit colloqui. Erat is Waltherus de Meisenburgo, [inter optimates patriæ famâ celebris. Genus ei nobile ex prosapiâ Meisenburgicâ, cuius hodiè-que in provinciâ nostrâ haud longè Rupe oppidulo, Viennâ leucis fermè tribus, arx est eius nominis pervetus, gente emortuâ. Iuvat de Walthero Cantipratani eius temporis Scriptoris verba ponere. *Est frater Ordinis Predicatorum Waltherus nomine de Meisenburgo, vir nobilis & religiosus valdè, qui præbendâ Cathedralis Ecclesiæ in Treviris relictâ, nec non & alijs possessionibus magnis, sub annis ætatis suæ sexdecim prædictum ordinem introivit, & in tantum Religione & Scientiâ profecit, ut Prior in multis domibus, & Lector in Ordine Magnus haberetur.* Hæc Cantipratanus de Walthero; quem quod dixit multorum fuisse cœnobiorum Priorem, id de Treviris mihi constat. Est Celobrium vetustissima Provinciæ nostræ arx, domicilium quondam priscae gentis equestris, nominis eiusdem. Ex quâ gente Alexander de Celobrio *Advocatus*, seu ut nunc appellamus, Præpositus civitatis Luciliburgensis, in vico Tifferdingâ, haud longè Celobrio, cœnobium virginum Cisteriensium condidit, testibus tum alijs, tum testamentarijs eius tabulis,

A 5

quibus

quibus inscriptum nomen *Fratri Waltheri de Meisenborch*, Prioris Fratrum Prædicatorum in Treviri, cuius suasu atque consilio eâ in re Alexander utebatur. Editæ tabulæ anno M.CC.XXXV. mense Maio. Cæterùm secundùm colloquium, quod cum Walthero Yolandæ fuerat, socius mensæ comiter adhibitus est. Hic Waltherus, ut ei moris erat, orsus sermonem de rebus inferre divinis, ubi animadvertit, maturum esse percunctari Yolandam de mente illâ suâ puerilium annorum, id agere institit, & dicere, hâc de re narrantes se audisse. Cumque Yolanda ad hæc cogitabunda obticesceret, Waltherus iam apertè & fidenter, quæso te, inquit, etiamne perstas in illo animi decreto, quo sanctimonialis fieri volebas? Cui Yolanda, omnino perstare se, nec quidquam mutâsse. Tum ille: vis ergo fieri sanctimonialis? Illa: sanè volo, si ullo modo potest, & sinat mater. Benè habet, inquit Waltherus. Itaque si ego effecero, ut voluntati tuæ mater obtemperet, etiam obsecundabis voluntati tuæ? Yolanda; ego matrem haud quaquam mihi obsecundaturam pro comperto scio; quâ solâ si volente utar, habeo scilicet mentis optata, quidquid deinde fors tulerit. Quanquam & Conradus Coloniae Archi-Episcopus cognatus meus, & Henricus frater, summæ ædis ibidem Præpositus, haud modicè consilia mea tuaque disturbabunt; & hunc quidem offensum mihi in hâc causâ sat scio. Ad hæc Waltherus; crede mihi,
filia

filia charissima, dum una stet à te mater, cæteri, Pater, Frater, & Conradus Archi-Episcopus, tantùm abest ut adferentur tibi, ut etiam Consilio adfuturi sint. Fateri id ita esse Yolanda; itaque se totam resque omnes suas committere Walthero, eumque testem appellare coram Deo, Divaque Virgine, suæ voluntatis. Hic repente illapsa Yolandæ animo vis quædam divina, omnem eripuit rerum labilium amorem. Et magnis multisque infusa lacrymis: En aspice me, inquit, te quæso, iam pater mi Walthere; tota quanta sum, ad cœlestia convertor. Tu mihi genus vitæ elige, tu Sacrum Ordinem præstare, qui maximè salutis sit mihi. Nulla in me mora, quin tuis haud cunctanter paream imperijs. Sed vide, per Deum, ut quod optimum, in me consulas. Hic de commodo damnoque meo, tu præsta. Faciam sanè libenter, inquit Waltherus; & quandò te meis penitus decrevisti dedere consilij, ordinem meum eligito. Sponsor & obses sum, non esse melius, quod eligas. Quid ais? Mihine parebis? Planè, inquit illa, & perlibenti animo. Sed ubi locus, quo ordini tuo me inseram? Ille: haud longè abhinc, leucis à Luciliburgo duabus, degunt Virgines Sanctimonialis Ordinis mei, magnæ vitæ innocentiam. Inclusas ibi exili tenuique Cœnobio, sola mors educit. Huc commigres oportet. Et Waltheri oratione, (quod mirè) ceu vinculis religatur subitò Yolandæ animus, nullo deinde

metu, nullâ vi ab huius amore loci unquam divelli potuit. Et principiò quidem Waltherum sociumque eius summoperè orare institit, ut iuvarent, remque maturarent. Quandò, inquit, mihi Auctores estis, ut eo loco sanctimonialibus aggreger, ita esto. Tollite moras, & è vestigiò, quod statutum, effectum date. At Waltherus vir prudens, quæso te, inquit, Yolanda, an per te licet, ut ante rem hanc matri indicem? Licet, inquit illa; quo enim animo ferret, si se insciâ, loci eius sanctimonialibus sodalem se coniungerem? Tum ille: Tantillum itaque interponendum moræ, dum pandantur tua matri consilia. Sed, quid illa si abnuat? Quid tum tu? Ego, inquit, Yolanda? Quando me Deo in perpetuum dedicavi, quidquid obstet mater, probè, sanè, intelligo, omnibus mihi contrà nitendum viribus. Quidquid mihi in veste, quidquid in ornatu gemmarum est, colligam in sarcinam, & & per arcis murum me demittam, atque ad Cœnobium, cui me addixi, tacita aufugiam. Maeste illâ virtute! inquit Waltherus. His animis addat robur cæleste Numen. Atque cum his dictis finito colloquio discessit.

Proximâ nocte, cum Yolanda unâ cum familiaris ancillula de more decumberet, cœpit orsa sua versare animo. Certabant hinc Dei amor, hinc pristinae deserendæ vitæ mœror; quæ lucta mox somnum pepulit. Subibat menti, carendum imposterùm omnibus delicijs, vitæque iucundâ: dese-

deserendas opes, ditionem, populos, sed imprimis sororem, fratres, patrem & matrem, omnesque necessitudines. Hæc acriter perpensa, mœrenti uberes excussere lacrymas. Mox tamen redeunte Dei memoriâ, & quid ei spondisset, concipiebat pectore prorsus virile robur, prompta res omnes terrenas etiam per mortem fugere. His agitata curis noctem transegit somni immorem. At ubi deindè diluxit, ne tum quidem remissæ curæ. Erat ei inter puellulas Heilevivi, fida præ omnibus una à cubiculis, cui erat deliberatum Yolandam ad mortem usque sequi. Hæc arcanorum omnium dominæ suæ conscia, ei promiserat, comitem se venturam ad cœnobium, cui se Yolanda addixerat, ibique velum cum eâ sumpturam. Eam Yolanda manu prehensam benè manè ad arcis mœnia deducit. Circumspiciunt, quâ se per murum demittant, atque ad cœnobium unâ profugiant. Postquam conscendèrè murum, animadvertunt locum descensui quidem habilem, at ea altitudine, ut absque læsione subsidere nemo possit. Hic Heilevivi: domina, inquit, si quidem ad portam concesseris, hacque evaseris, sequar, profectò, quocumque tibi libitum, utcunque se fortuna feret: at hinc ex alto haud sanè cadam ego. Ita re infecta discessum. Yolandæ interim non deficiebat animus; quin ad eò per mala atque adversa capiebat incrementum; quod toto reliquo vitæ cursu ei solemne.

CAP. IV.